



MARTHESIA, siue Marpesia, & Lampedo, sine Lampeto, Reginae fuere Amazonum, regnante Theseo Athenis: nempe anno mundi 2734. ante Christum natum 1228. autoribus Iustin. libr. 2. & Oros. libr. 1. cap. 15. & 16. Funccius verò reiicit ad annum mundi 2754. ante Christum natum 1208. hæ in duas partes exercitu diuiso, inclytæ iam opibus, vicissim bella gerebant: & ne successibus deesset autoritas, generatas se Marte prædicabant. Itaque maiore parte Europæ subacta, Asiæ quoque nonnullas ciuitates occupauere. ibi Ephesum, multasque alias vrbes condidêre: tandem ibi Marthesia incursum barbarorum interficitur, in cuius locum Orithya filia succedit. Iustin. lib. 2. Oros. lib. 1. cap. 15.

LAMPEDO, siue Lampeto Amazonum Regina, Epheso multisque aliis vrribus in Asia conditis, domum cum parte exercitus remittitur, vt patriam tueatur. Cæterum de huius gestis, & fato nil apud autores reperi, quemadmodum nec ipse etiam Bocacius. De Amazonibus autem in genere pauca dicere lubet. Hæ ex Scythis ortæ, in Cappadociæ ora, ad amnem Thermodoonta confedêre: ibi mariti, qui spoliare finitimos consuerant, conspiratione populorum per insidias trucidantur: ipsæ, quarum exilio addebatur orbitas, arma sumunt: remp. sine viris augent: matrimonium seruitutem appellant. tandem pace armis quæsita, ne gens interiret, finitimorum concubitus ineunt: si qui mares nascuntur, occidunt: virgines armis exercent, dextris mammis inuistis, ne sagittarum iactus impediatur, vnde Amazones dictæ. Iustin. lib. 2.